DISSERTATIO THEO

IN VERBA CHR

SINE ME N
POTESTIS F

PRÆSID

CHRISTOPHORO M
PFAFFIO

S. THEOL. DOCT. ET PROFESSO
CANCELLARIO UNIVERS
ABBATE LAUREACE

AD DIEM XXII. MARTII

HANC DISSERTATI
IN AUDITORIO JU
COLLOQUIO HANC IN REM PUB

DEFENDENT

M. JO. JACOBUS REHM
ET
M. JO. GUIL. GENTNER

TUBINGA
LITERIS EXCUDEBATUR VIDUÆ

THEOLOGICA

CHRISTI:

E NIHIL

S FACERE.

SIDE

RO MATTHÆO

FFIO,

ROFESSORE PRIMARIO,

UNIVERSITATIS,

UREACENSI,

IRTII A. MDCCXLVI.

ERTATIONEM

IO JURIDICO,

REM PUBLICO INSTITUTO,

NDENT


REHM, Mezingensis,

ET

TNER, Hochbergens.

NGÆ.

VIDUÆ ROEBELIÆ.



JOH. XV. 5.

ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν.

quia sine me nihil potestis facere.

EX hoc Christi oraculo patet, hominem *ex viribus naturalibus* nec convertere se, nec bona opera, *qualia Evangelium à nobis poscit*, facere, nec vel ad illud vel ad hæc *cooperando* per *easdem* cum gratiâ concurrere posse. Ita Aug. Conf. art. XX. sub finem, p. 48. Apol. Aug. Conf. art. 3. p. 165. 166. 182. 195. & art. 5. p. 243. epit. Form. Conc. art. 2. de lib. arbr. sub finem affirmativæ, & declar. F. C. eodem articulo, p. 758. 764. nostræ edit. Excipiunt 1. χωρὶς non significare præcisè *sine*, sed *extra*, *seorsim*. Non enim dici ἄνευ ἐμοῦ, ἄτερ ἐμοῦ, sed χωρὶς ἐμοῦ, id quod idem sit, ac δίχα ἐμοῦ. Uno verbo: loqui de illis Christum, qui à se vite excisi sint palmites. Si à me excîdamini, quale in exitium mox prolapsus est Judas, nîl, quod sit frugis bonæ, facere poteritis ampliùs. Atquî verò ab apostatis eorumque consummatâ pravitate atque ad omne bonum opus faciendum impotentiâ non licere arguere ad omnes homines ut sic. 2. Verba *sine me* concursum & *cooperationem* hominis non excludere, sed ostendere saltem, vires nostras naturales ad hoc negotium non sufficere, sed opus habere gratiæ *adjutorio*. Sic, cùm dicitur: equus hic *sine* altero admoto currum trahere non potest, non innuitur, illum ad trahendum currum non concurrere, quùm trahitur, sed innuitur potiùs contrarium, quòd cum altero admoto ad tractionem currûs concurrat. Constat hoc ex *causæ sociæ* definitione. Imò patere & 3. quòd verba hæc Christi *cooperationem* nostram insinuent, ex eo, quòd alloquatur hîc Apostolos, dudùm conversos, *cooperari* verò conversos *cum gratiâ*, neminem nostrûm diffiteri, Paulumque aliâs affirmare,

quòd in officialibus muneris Apostolici functionibus Apostoli concurrant cum Deo 1. Cor. III. 5. sqq. XV. 10. 4. per verba *sine me* non intelligi gratiam *excitantem* & *prævenientem*, *actualem illam*, sed saltem *gratiam habitualem*, licet & *actualibus subsequentibus stipatam*, quâ macti facere possimus opera, gratiâ & vitâ æternâ digna, h. e. meritoria. Ex hoc verò non sequi, quòd homo se ad justificationem viribus naturalibus voluntatis suæ à *gratiâ actuali* & *præveniente* motæ *disponere* haud possit. 5. per verba *sine me* innui saltem *gratiam objectivam* & *externam*, sensumque esse, sine institutione, doctrinâ, exemplo Christi nihil à discipulis Christi fieri posse egregii, adeóque adminiculis & adjutoriis hisce opus esse, opus esse Evangelii prædicatione *externâ*, ut convertamur, ut bona opera faciamus; quæ verò deinceps, motivis ex Evangelio haustis, ex quibus præcipuum sit propositio præmii, peragantur viribus nostris & voluntatis nostræ per hæc motiva motæ naturalibus, non opus esse *miraculo*, non opus esse *internâ* quâdam Christi *gratiâ supernaturali*, quæ irradiet intellectum, quæ trahat voluntatem, nisi fortean ad *faciliùs* saltem peragenda ista, jam enim 6. τὸ *non posse* difficultatem operis patrandi significare saltem subinde. Ita communi verbo nos dicere sæpiùs, hoc vel illud nos absolutè facere non posse, quod nolimus saltem, vel quod difficile nobis fit factu. Exempla dedisse ex ipsis scripturis sacris Flacium in Clave Scr. sacræ vocibus *impossibile* & *possum* f. 418. sqq. 945. sqq. edit. Musæanæ, itemque Glassium in Philol. sacrâ L. III. tr. 3. C. 12. alios, quos sanè & nos allegavimus in diss. de prædeterminatione Dei ad peccata physicâ p. 30. Ita Joh. XII. 39. dici, Judæos, licet ad credendum invitatos à Christo, adeóque suppositos ab hoc, quòd credere possint, *non potuisse* credere, utpote præjudiciis occæcatos, quæ fidem ipsis reddebant difficilem, ita 1. Joh. III. 9. dici, renatos *non posse* sc. facilè peccare, quod nisi esset, gratia amissibilis non esset. *Ita*, inquiebat Pelagius, *velo faciliùs, remo difficiliùs, tamen & remo itur. Jumento faciliùs, pedibus difficiliùs, sed tamen & pedibus pervenitur.* Vide Augustini serm. 13. de verbis Apost. C. 12. 7. ex eodem Glassii canone patere, quòd τὸ *non posse* idem subinde sit, ac *non debere*. Sensus fuerit: *non debetis, non licet vobis facere quicquam, nisi me præcipiente, suadente,*

appro-

approbante. Quid? Evangeliumne prædicabitis, meâ autoritate haud muniti? præceptis meis nondum instructi satis? Sed ab Apostolis eorumque tùm temporis prævalente adhùc incapacitate in officialibus, qui, absente Christo, facilè potuissent cespitare, ad incapacitatem hominum naturalem ad sui conversionem & bona opera facienda non valere saltum. 8. textum nostrum saltem de *potentiâ* loqui agendi. Distingui enim hîc debere τὸ *posse*, τὸ *velle*, τὸ *agere*. Primum saltem *gratiæ* esse deputandum, vi textûs nostri, posteriora duo à viribus nostris naturalibus dependere, *volitionem* itaque, quæ τὸ *posse* sequatur, *actum*que ipsum ex toto *nostra* esse, vel τὸ *facere* in nostro textu esse saltem *perficere* opus. Concedi vel tandem posse, nos conversionem nostram *perficere* sine Christo non posse, sed ex hoc nondum sequi, quod *inchoare* illam viribus nostris haud possimus. Initium operis esse conatus naturales nostros, quibus ad conversionem per *opera pædagogica* disponamur, præparemur. Ut *perficere* hoc opus possimus, utique à gratiâ Christi repeti posse. Excipitur 9. vocem οὐδὲν *nihil* non posse hîc strictè & in totâ suâ universalitate sumi. Ficulneum fore, si quis ex hoc textu probare contenderet, nos sine concursu divino Christi, supernaturali illo vel naturali, ne quidem naturales functiones nostras peragere posse, quòd e. g. sine illo nec opifex facere opificium, nec arare rusticus vel metere &c &c &c possit. Falsum & hoc esse, si quis affirmârit, hominem ex viribus naturalibus nec bona opera moralia perficere posse, e. g. dicere veritatem, servare pacta, diligere parentes, liberos, amicos, erogare eleemosynas &c &c &c. nec abstinere à peccatis, gravioribus maximè. Restringenda itaque esse hæc verba ad *opera Apostolorum*, quos solos hîc alloquatur Christus, *officialia*, ad quæ & restringenda sint verba Pauli 2. Cor III. 5. quæ itidem communiter, sed perperam, & contra contextum ad omnia Christianorum cogitata & opera applicentur. Ita sanè Curcellæus, qui ita: *Locus hic propriè non ostendit, quid in singulis fidelibus requiratur, ut salutis æternæ fiant participes, sed potiùs, quodnam sit speciale Apostolorum officium, ut demandato sibi munere defungi & multos ad veritatem adducere possint, hoc nempe, ut à Christo toti pendeant, ne, si quid proprio arbitrio facere instituerent* e. g. Matth. XVII. 19. sqq. & *ad ipsius*

præcepta minùs attenderent, infeliciter totum istud negotium ipsis succederet. Hinc verba ita παραφράζει *Si vos me deserueritis & præcepta, quæ tradidi vobis, non studiosè retinueritis & observaveritis, nolite ullum laboris vestri successum aut fructum, sive ad vos, sive ad alios redeuntem expectare.* Vide Instit. relig. Christ. L. VI. C. 12. §. 1. f. 397. Denique 10. si & ad opera quævis fidelium bona trahi velit textus, tamen restringendum adhùc esse illum ad horum excellentem præstantiam & multitudinem, quùm immediatè antecedat: *qui in me manet, fert fructum multum.* Etenim significare τὸ *nihil* in sacris quoque subinde saltem *parum, modicum, imperfectum.* Ita post Pelagianos Erasmus de libero arbitrio adversus Lutherum, in quo ad Joh. III. 27. 1. Cor. III. 7. XIII. 2. provocat. Plura hanc in rem loca congessere Flacius in clave Script. sacræ voce *nihil*, f. 734. 735. editionis laudatæ, itemque Glassius in Rhetoricâ sacrâ tr. 1. C. 14. de synecdoche generis p. 438. 439. Dices, sic evanescere porisma dogmaticum, quod sub initium dissertationis ex textu nostro deduxerimus. Sed non evanescit. Respondemus quippe ad 1. utique perinde nobis esse, sive quis τὸ χωρὶς per *sine*, quod communiter fit, sive per *extra* & *seorsim* vertat. Non opus fuisset, ut J. B. Bossuetus, Episcopus Meldensis, Gallus, Richardo Simoni, Oratorii Parisiensis Presbytero tantoperè exprobrâsset, quòd in versione Gallicâ, Trivultii editâ vertisset: *vous ne pouvés rien faire séparés de moi*, adjecissetque hanc notam: *sans moi, c'est à dire, séparément de moi, comme le mot Grec le porte*, denigrâssetque Simonem, quòd secutus hìc esset Slichtingium, Socinianum, cui & Wolzogenium ad h. l. addere potuisset, itemque Grotium ad h. l. in instruct. pastor. I. contra versionem hanc editâ p. 7. recteque respondit Simon, etiam stante hâc versione Pelagianos sufficienter ex hoc textu refutari posse, hinc & Bezam vertisse *seorsim à me* & Camerarium *extra me*, atque ex Romanæ filiis Ecclesiæ Gagnæum ejusdem secum fuisse mentis. Vide la Bibliotheque critique de Mr. de Sainjore, sub quo nomine Simon hic latitat, T. IV. lettres 41. 42. p. 393. sqq. Addi poterat Bezæ ex Reformatis Piscator ad h. l. & Camero in prælect. de Ecclesiâ Opp. f. 219. & Ravanellus in Bibliothecâ sacrâ T. 1. f. 948. col. 2. quos secuti quoque sunt ex recentioribus

Infan-

Infantius & Bellosobrius ad h. l. ex Arminianis Curcellæus, ex Anglis Whitby ad h. l. ex nostris Gerhardus in harm. Evang. C. 177. Tarnovius ad h. l. Er. Schmidius, Prücknerus in vindiciis ad h. l. f. 704. Quenstedius, alii. Scilicet innuuntur in nostro loco, qui extra Christum sunt, omnes, non saltem apostatæ, sed & omnes relapsi, vel ad Christum nondum conversi, qui Christo non sunt insiti, ut palmites viti. Ad 2. respondemus, ex contextu apparere ad oculum, quòd τὸ χωρὶς *sine* sumendum sit in *sensu* virium naturalium *exclusivo*, non in ordine ad illas cum gratiâ Christi *cumulativo*, innuique prorsus, quòd omne bonum, quod faciant fideles, faciant *ex virtute Christi* cælitùs ipsis communicatâ, quemadmodum *sine* Christo factum dicitur nil Joh. I. 3. Uti enim palmes, sine vite, seorsim à vite, à vite abscissus *nullum* fructum ferre potest, arescit enim, & *omnem* succum ex vite trahit, *nullum* aliâs habiturus, ita quoque, qui insitus Christo non est, nec in illo manet, nil succi habet ad faciendum bonum. Egregiè Augustinus tr. 81. in Joh. *Ita in vite sunt palmites, ut viti non conferant, sed accipiant, unde vivant. Ita verò vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum & manere in Christo discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam, præciso palmite, potest de vivâ radice alius pullulare, qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.* Verba hæc repetiit Prosper sent. 364. hodiè 368. & Concilium Arausicanum II. c. 24. Somniavit ergò ad h. l. Maldonatus, cùm scripsit, non sequi, si palmes sine vite fructum ferre nequeat, non posse quoque, cùm viti adhæreat, cooperari enim palmitem viti ad fructum ferendum, quem vitis sine palmite nequeat ferre. Etenim, si homines non essent, spirituale illis robur non conferre posset Christus, quo macti fructum ferrent. Sed de hoc non est quæstio, sed hæc est quæstio, num palmes ex *propriâ* virtute quâdam fructum ferre possit, quam *non* hauriat *totam* ex vite. Patet ex his, quàm ridicula sint Maldonati verba: *Calvinistæ rectè colligere non possunt*, nisi in me manseritis, nihil potestis facere. Ergò, etiamsi in me manseritis, nihil potestis ipsi facere, ego enim solus omnia facio. *Quis enim non rideat ita colligentem, cùm, si de palmite eodem modo disputaret,*

agri-

agricolæ viderent: palmes, si in vite non manserit, nullum fructum ferre potest; ergò, etiamsi in vite manserit, non ipse, sed sola sine ipso vitis fructus ferre potest. *Quis, quæso, tàm rusticus est, ut istum tàm ineptum disputatorem non exsibilet? Nos contra rectè colligimus*: Nisi in Christo manserimus, nihil possumus facere. Ergo, si in illo manserimus, aliquid facere poterimus.,, Dissimulat Jesuita statum controversiæ, qui non est hic: *num, qui Christo insiti sumus, bona opera facere queamus*, de quo nemo est, qui dubitet, sed num ex viribus *propriis* & *naturalibus*, vel ex *solâ* Christi virtute nobis communicatâ illa facere possimus. Imò contradicit Jesuita Christo in os, quo dixit comm. 4. *Palmes non potest fructum ferre* NB. *à se ipso, nisi maneat in vite.* Egregiè rursus Augustinus tr. 81. in Joh. adversus Pelagianos: *Quid dicitis, quid vos ipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrii? Nempe vox vestra est, quòd homo ex semet ipso facit justitiam. Hoc est altum elationis vestræ. Sed veritas contradicit & dicit*: Palmes non potest fructum ferre à se ipso, nisi manserit in vite. *Ite nunc per abrupta, & non habentes, ubi figamini, ventosâ loquacitate jactamini. Hæc sunt inania præsumtionis vestræ. Sed, quid vos sequatur, videte, &, si est in vobis ullus sensus, horrete. Qui enim à semet ipso fructus existimat ferre, in vite non est, qui in vite non est, in Christo non est, qui in Christo non est, Christianus non est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ.* Hinc & prorsus omninò approbandus nobis venit canon 7. Concilii Arausicani II. *Si quis per naturæ vigorem bonum* NB. *aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire se posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis*: sine me nihil potestis facere.,, Ad 3. regerimus, cooperationem conversorum cum gratiâ non esse *ex viribus naturalibus* sed *spiritualibus* in conversione acceptis repetendam, ex viribus cælitùs à Christo *solo* datis, quibus, sed & extraordinariis, macti Apostoli in officialibus cum gratiâ cooperati fuerint, licet 1. Cor. XV. 10. *cooperationem* non insinuet, monente Hülsemanno in manuali Aug. Conf. disp. 16.

§. 6.

§. 6. p. 750. Jam verò & 4. peccat post Molinam infinitosque alios Maldonatus, cùm excipit, in nostro textu dici saltem, sine gratiâ Christi *habituali* bona à nobis opera fieri nequire, quæ vitam æternam mereantur. Etsi enim in antecedentibus dicat Christus: *qui manet in me*, id quod utique gratiam *habitualem* innuit, *fert fructum amplum*, à *specie* tamen ad *genus* transit dicendo: *quoniam sine me nihil potestis facere*. Sensus fuerit: *Si sine me, sine gratiâ meâ, sine succo spirituali, quem vobis per Spiritum meum infundo, sine virtute spirituali, quâ vos beo, ex viribus vestris naturalibus, juxta quas palmites exsucci estis, nihil boni spiritualis agere potestis, fructus utique multos facietis, si in me habitualiter manseritis.* Manifestum est, per *fructus* hîc intelligi omnia cogitata, dicta, facta spiritualia, non verò *meritoria*, quæ nulla dantur, non merita, non vitam æternam. Et quid? Nonne fatetur ipse Maldonatus sub initium col. 1827. *omne justificationis initium omniumque ad justificationem dispositionum non à nobis, sed à præveniente & actuali Christi gratiâ sumi oportere.* Habemus itaque reum confitentem, quòd à nobis cooperantibus ex viribus nostris naturalibus nîl repeti queat spiritualis boni, soli quippe gratiæ deputandi. Conferri cum hisce velim, quæ scripsit contra Maldonatum Seb. Schmidius, qui datâ operâ oraculum hoc nostrum explicavit & vindicavit in Collegio Biblico posteriore, loco 8. p. 153. sqq. Ad 5. reponimus, non de gratiâ saltem *externâ*, sed maximè *internâ*, hoc est, de illuminatione intellectûs & inclinatione voluntatis spirituali hîc cogitandum esse, quia & succus ille, qui è vite in palmites derivatur, atque facit, ut hi fructus protrudant & ferant, *internus est*, & quia sine mansione *internâ* Christi *in* nobis & nostrâ *in* Christo nîl boni operis nos facere posse textus indigitat, monstratque adeò, quousque vadat tertium in simili. Itaque ergò succus spiritualis, ex vite Christo in nos palmites, ipsi insitos, derivandus est *omnis*, si bona spiritualiter talia facere velimus. Hallucinatus Pelagius fuit, cùm statuit, gratiam quidem *externam* necessariam esse, *internam* secus. Nîl valent motiva ex Evangelio extrinsecùs hausta, nisi *virtute spirituali* & *supernaturali*, quæ eidem insita est, *imprægnata* in animum & cor nostrum labantur. Ad 6. regerimus, ostendere idem simile in suo tertio, τὸ *non posse* esse strictè sumendum, nec saltem indigitare *difficultatem*

 operis.

operis. Statuit vel tandem, cùm urgeretur hoc oraculo Pelagius, bona opera, licet viribus nostris naturalibus fieri possint, *faciliùs* tamen per gratiam fieri. Sed rectè Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium L. II. C. 8. *Dominus, ut responderet futuro Pelagio, non dixit:* sine me difficilè potestis aliquid facere, *sed ait:* sine me nihil potestis facere,, itemque Concilium Milevitanum, juxta alios Carthaginense III. A. 418. habitum can. 5. *Item placuit, ut, quicunque dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium,* ita verò Pelagius tùm in epistolâ ad Demetriadem, tùm in libro infra ab Augustino citando, faciliùs *possimus implere per gratiam, tanquam, etsi gratia non daretur,* non *quidem* facilè, *sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait:* sine me *difficiliùs* potestis facere, *sed ait:* sine me *nihil* potestis facere,, quæ verba exstant quoque in Concilio Africano can. 80. & in Codice Canonum Ecclesiæ Africano à Voello & Justello in Bibliothecâ juris Canonici veteris edito n. 113. T. I. f. 390. & repetuntur a Cælestino I. in ep. ad Episcopos Galliarum C. X. col. 1193. edit. Coustant. Leone I. de gratiâ & lib arb. art. 7. Opp. T. 1. f. 37. 38. edit. Quesn. itemque in jure canonico c. 156. fin. de consecr. dist. 4. Placet hîc appingere alium adhùc Augustini locum, qui L. 1. de gratiâ Christi contra Pelagium & Cælestium C. 29. exstat, ubi ita Hipponensis Præsul: *In primo libro pro libero arbitrio* Pelagius, *ut, quod per liberum, inquit, homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Tolle* faciliùs, *& non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut, quod per liberum facere jubentur homines arbitrium,* verba hæc sua facere non debuerat Augustinus, & ipsa in Pelagio castiganda, *possint implere per gratiam. Cùm autem* faciliùs *additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratiâ posse fieri tacitâ significatione suggeritur. Quem sensum redarguit, qui dicit:* sine me nihil potestis facere,, Liceat addere & tertium Augustini locum ex serm. 13. de verbis Apostoli: *Jam verò dicunt, adjutricem esse gratiam Dei ad* faciliùs *facienda. Ad hoc, dedit, inquiunt, Deus gratiam suam hominibus, ut, quod facere jubentur per liberum arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Non est sic. Magister enim verus, qui neminem palpat, neminem*

minem fallit, verax doctor idemque Salvator, non ait, sine me facere quidem potestis aliquid, sed faciliùs per me, *non ait,* fructum vestrum sine me potestis quidem facere, sed uberiorem per me. *Non hoc dixit, sed legite, quid dixerit. Evangelium sanctum est. Omnium superba colla subduntur. Non hæc dicit Augustinus, sed dicit Dominus:* sine me nihil potestis facere.„ Ast, quid pugnamus autoritate vel Augustini vel Milevitani Concilii, cùm pro nobis clamet contextus. Itane ergò palmes sine vite, à vite abscissus, fructum ferre potest, licet difficulter? Respondeo: planè non potest. Idem simile monstrat & 7. τὸ *non posse* non sumi posse pro *non debere.* Quod verò 8. ex mente Pelagii objectum fuit, video Augustinum, non quidem ex nostro loco, sed ex Phil. II. 13. diluentem, & reprehendere cum emphasi de gratiâ Christi L. 1. contra Pelagium & Cælestium C. 5. & 47. Ast & ex nostro loco capi responsio possit. Non possumus *facere* bonum opus sine Christo, & Ipsius gratioso influxu, adeóque & *posse* & *facere* ex gratiâ Christi est. *Facere* quippe *sine Christo non possumus.* Palmites nec *possunt* producere, nec producunt *actu* uvas sine vite. Quis ferat dicentem, quòd gratia *spiritualem* potentiam det homini, quâ mactus per vires *naturales* bonum agat. Ἀσύςατα hæc sunt. Vires nostræ naturales sunt aridi palmites. Sed nec inchoare bonum opus vel conversionem *viribus* possumus *naturalibus,* uti nec palmes sine vite initium conferre potest gemmæ vel uvæ producendæ, quas nec sine illo *perficit.* Egregiè rursus Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium L. II. C. 8. *Et, ut responderet futuris etiam istis, in eâdem ipsâ Evangelicâ sententiâ non ait:* sine me nihil potestis perficere, *sed* facere. *Nam, si* perficere *dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium,„* quæ verba repetit Confessio Wirtembergica de peccato p. 279. nostræ edit. Ast confer saltem Phil. I. 6. II. 13. Scilicet & opera *pædagogica,* quæ & ipsa substant gratiæ divinæ *prævenienti, remotè* saltem, non *proximè* concurrunt ad conversionem, sermo verò hîc est de ipso conversionis initio, num fieri per vires naturales possit? Ad 9. facile largimur, vocem ὀδὲν *nihil* in omni generalitate suâ haud sumendam esse, hominemque ex viribus *naturalibus* etiam *bona* opera *naturalia* &

 mora-

moralia, licet *non* talia, quæ Evangelium poſcit, *ſpiritualia* nempe, facere poſſe, quod in diſſ. ad Rom. XIV. 23. verba: *quod ex fide non eſt*, *peccatum eſt*, expoſuimus latiùs. Sed tamen & ad *ſola* Apoſtolorum opera officialia oraculum noſtrum reſtringere contextus vetat, qui de opere precum comm. 7. 16. de ſervatione mandatorum Chriſti comm. 10. 14. de amore mutuo comm. 12. 17. de patientiâ in tribulationibus comm. 18. ſqq. agit, deque omnibus iis agit, qui ut palmites Chriſto viti inſeri atque in Chriſto manere debent, ut hujus macti gratia bona opera agant, ut fructus ſpirituales ferant. Quæro, num ſolorum Apoſtolorum hoc exſtiterit officium? quos non *vinitores* hîc ſed *palmites* fert textus. Unde nec τὸ ποιεῖν *facere* ad factionem miraculorum, quam ſubinde ſignificat, de quâ verò nec contextus agit, trahi hîc poteſt. Notandum hoc non ſaltem contra Curcellæum, ſed & contra anonymum, qui Bibliothecæ Germanicæ Gallicè ſcriptæ inſeruit *la lettre ſur la liberté*, in quâ oracula ſacra de neceſſitate gratiæ internæ enervare conatus eſt & hoc quoque crudè ſatis explicat de operibus Apoſtolorum officialibus T. XLIII. art. 2. p. 50. Miſerum eſt, quod probationis loco affert: *Si ces paroles ſignifioient, qu'on ne peut abſolument rien faire ſans J. C. il s'enſuivroit, comme d'habiles gens l'ont remarqué*, hi verò me quidem latent, *qu'on ne pourroit pas auſſi pécher ſans J. C. ce qui ſeroit une manifeſte impieté*. Jam enim reſtringenda diximus verba Chriſti, ſed ad *bona* opera, quæ ex noſtrâ in Chriſtum inſitione fluunt, hujuſque ſunt fructus. Denique contra decimam exceptionem liceat rurſus allinere verba Auguſtini ex tr. 81. in Joh. adv. Pelagianos ſcripta: *Etiam atque etiam conſiderate, quid adhuc veritas adjungat & dicat:* Ego ſum, *inquit*, vitis, vos palmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. *Ne quiſquam putaret, ſaltem parvum aliquem fructum poſſe à ſemet ipſo palmitem ferre, cùm dixiſſet:* hic fert fructum multum, *non ait*, quia ſine me parum poteſtis facere, *ſed* nihil poteſtis facere. *Sive ergò parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt, quia, etſi parum attulerit palmes, cùm purgat agricola, ut plus afferat. Tamen, niſi in vite manſerit & vixerit de radice, quantumlibet fructum à ſemet ipſo non poteſt ferre.* Rectiſſimè quidem hoc poſterius. Palmes ſine vite nec *parum* nec *multum*

tum fert. Ergo nec, qui sine vite Christo sunt, palmites mystici, æquivoci illi. Conferri hîc velim, quæ in libro de servo arbitrio Erasmo respondit hîc Lutherus T. 3. Jen. Opp. Lutheri lat. f. 221. sqq. & p. 182. sqq. editionis Schmidianæ, ubi sanè perquàm egregiè hoc oraculum contra Erasmum vindicat. Benè, quod in tot formas, contradictorias quoque, se vertit Pelagius cum sequacibus & antiquioribus & recentioribus. Pessimæ causæ indicium hoc est. Possemus jam addere falsa porismata, quæ ex oraculo nostro deduci subinde videas. Dabimus saltem quædam. Ita peccat Alvarez, quùm de auxiliis divinæ gratiæ & humani arbitrii viribus disp. XXIV. §. 25. p. 239. probare exinde contendit, Deum etiam hominem *prædeterminare* ad actiones *malas*, in quantum sint *actiones*, quia *ut sic* bonæ sint, & homines sine Deo ne has quidem facere possint in ordine ad *entitatem*, quâ floreant. Nec porrò quoque ex nostro textu fluit *prædeterminatio* hominis ad conversionem & bona opera *physica*, ita dicta, non quòd *supernaturalis* haud sit, sed, quatenùs in genere causa secunda non supponitur agere posse, nisi mota à primâ, & ab hâc mota non potest non agere, & quatenùs *morali* opponitur, quæ per repræsentationem motivorum saltem agit, quæ sententia Thomistarum in Ecclesiâ Romanâ & complurium Reformatorum Theologorum est. Etsi enim gratia *immediatè*, non quidem *immedietate organi*, quod verbum divinum est, sed *immedietate virtutis* in intellectum & voluntatem influat, radios *spirituales* illi, huic vires *spirituales* infundendo, resistere tamen huic gratiæ influxui homo valet, ut effectum à Deo intentum non sortiatur. Nec enim argui tertiò ex loco nostro potest, quòd, quemadmodum palmes succum, quem vitis illi infundit, *irresistibiliter* ex illo trahit, & gemmas protrudit, in uvas evalituras, ita quoque gratia sit *irresistibilis*, quod contra Remonstrantes ursere Contraremonstrantes in sess. XCIX. Synodi Dordracenæ. Vide hujus acta p. 315. 316. edit. Hanov. Non est hoc *tertium* similis, quod supra determinavimus. Pertinet hùc quartò Controversia inter *Molinistas*, *Thomistas* & *Jansenistas* agitata, num oraculum nostrum agat de gratiâ *sufficiente* vel *per se efficace*, & num, qui illâ mactus sit, non saltem *actu primo*, sed & *secundo* se convertere possit, adeóque floreat *potentiâ proximâ* ad se convertendum, & quænam hæc sit, vel num ad

ipſum converſionis actum & bona opera patranda requiratur amplius gratia *efficax*, quæ actum *infallibiliter* & *invincibiliter* & *indeclinabiliter* operetur? Conſtat, Janſenium ab Innocentio X. fuiſſe damnatum, quòd ſtatuerit, *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, juxta præſentes, quas habeant, vires, eſſe impoſſibilia, quia illis deſit gratia* illa efficax nempe. Eſt hæc prima damnatarum Janſenii propoſitionum. Conſtat, quanta dica fuerit ſcripta Ant. Arnaldo, quòd ſtatuiſſet, *Petrum abnegâſſe Chriſtum, quòd*, licet gratiam habuiſſet *ſufficientem* ipſum non abnegandi, tamen *efficace caruerit*, quæ neceſſaria fuerit ad tentationem vincendam, & quam deinceps pro Petro exoraverit Chriſtus, *ne fides ipſis deficeret*, cùm *gratiâ perſeverantiæ* itidem *inſuperabili* junctam. Conſtat denique, Clementem XI. in Conſtitutione *Unigenitus* damnâſſe n. 2. hanc Paſch. Queſnelli propoſitionem: *Jeſu Chriſti gratia, principium* efficax *boni cujuſcunque operis neceſſaria eſt ad omne opus bonum. Abſque illâ non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* Ita enim ſcripſerat dans ſes reflexions morales ſur le N. T. in textum noſtrum Queſnellus: *La grace de J. C. principe efficace de toute ſorte de bien, eſt neceſſaire pour toute bonne action. Sans elle non ſeulement on ne fait rien, mais on ne peut rien faire.* Deleverat in iteratâ editione harum reflexionum vocem *efficace* Cardinalis & Archiepiſcopus Pariſienſis NOAILLIUS, ut Queſnellum ſalvaret atque à criminationibus Moliniſtarum præſtaret immunem. Sed cur delevit, inquis, lector, cùm terribilis hæc ſit Pontificis condemnatio, verborum, quæ non tàm Queſnelli, ſed ipſius Chriſti ſunt? Cape reſponſionem. Si Queſnellus per gratiam *efficacem* intellexiſſet illam, quæ *actu primo* talis eſt, in *actum ſecundum* evalituro, nî reſtiterit homo, errâſſet utique terribiliter Pontificis fulmen. Sed aliter ille. Jam enim per *gratiam efficacem* illam intellexit Queſnellus, quæ *ſufficienti* contradiſtincta eſt, &, cùm hæc ſaltem det τὸ *poſſe*, dare dicitur & quidem *ſola* τὸ *velle* & τὸ *agere*. Janſeniſmi hinc poſtulatus fuit Queſnellus, quòd de gratiâ *efficace ſolâ* hunc textum exponeret, & gratiam *ſufficientem* cum Janſenio rejiceret, quam tamen ex mente Thomiſtarum explicatam admiſit deinceps in ſcriptis ſuis apologeticis, ægrè, ut puto, in eo tamen jure reprehendendus, tùm, quòd *ſufficientem* gratiam ſtatuit, quæ in *actum ſecundum* erumpere haud valeat unquàm, hoc ipſo in terminis contradi-

tradictoria, fitque adeò faltem collativa, uti fcholafticè loquuntur, *potentiæ antecedentis*, non *confequentis*, *poffibilitatis*, non *futuritionis*, *capacitatis*, non *pofitionis*, *actûs primi*, non *fecundi*, involvatque faltem *fimultatem potentiæ*, non *potentiam fimultatis*, adeóque *potentiam* dare *proximam* dici certo fenfu poffit; tùm quòd ftatuit, tàm *potentem* effe gratiam *efficacem*, folis electis datam, ut effectum *infuperabiliter* operetur femper, licet *irrefiftibilis*, hæc enim fententia in Concilio Tridentino feff. VI. de juftif. C. 5. & can. 4. condemnata eft, dici nequeat, quia in medio actu, adeóque & in *fenfu compofito*, multò magis *divifo*, in medio, inquam, actu, quo homo convertitur, nihilominùs tamen hic habeat *potentiam refiftendi* in *actu primo*, licet *actus fecundus*, ad quem tamen hæc potentia ne affurgere quidem queat, per gratiam *efficacem* impediatur. Si dixeris, rectè ergò reprehenfum fuiffe à Clemente XI. Quefnellum & fomnia hæc effe Virûm, non falleris. Sed fomnia funt errantium, qui re verâ gratiam *irrefiftibilem* ex abfoluto decreto folis electis datam ftatuunt, & effugia faltem quærunt, quæ ipfos ab anathemate Tridentino immunes præftent. Poft Concilium enim Tridentinum demùm hæ argutiæ à Thomiftis fuere confictæ, hic typus doctrinæ adinventus, uti hiftoria Congregationum Romanarum de auxiliis gratiæ docet. Gratia, quæ actum *fecundum* producere haud valet, *fufficiens* non eft, id enim *fufficiens* eft, quod omnia involvit, quæ neceffaria funt ad actum producendum. Hoc eft, quod involvit terminus *potentiæ proximæ*, quam infinuat textus nofter. Falfum hoc effe ais, tu *Thomifta*, tu *Janfenifta*, *Arnaldine* vel *Quefnelliane!* Sufficere, quòd *potentia proxima* eaque *fufficiens* talis fit *in effe potentiæ*, in ordine ad *quam* ita dicatur, non in ordine ad *actum*. Veram effe *potentiam*, licet in *actum* deducatur nunquam. Ita Deum habere potentiam infinitam ad infinita alia facienda & *fufficientem* ad illa facienda, quæ tamen facturus fit nunquàm. Porrò, quis negârit, inquiunt ambo, eum, qui fanis gaudeat oculis, gaudere & videndi potentiâ *proximâ*, cùm tamen actu fecundo videre non poffit, nifi adfit lux, ita nec per gratiæ fufficientis potentiam *proximam* ad converfionem operandam converti hominem actu, quia, ut in actum deducatur hæc potentia, neceffaria fit gratiæ efficacis lux & robur. Qui fomnia hæc prolixiùs nôffe voluerit, huic ex infinitis ex unâ parte Alvarez l. c. difp. 115. n. 14. p. 910. 911. difp. 117. §. 11. p. 928. & Montaltius five Pafcalius, itemque Wendrockiùs

five

five Nicolius dans les lettre
pouvoir prochain & *de la g*
ficacité de la grace Opp. Th
vinus de Meyer de mente
determinantem diff. 1. C. 1
hæc recensuisse, est refutâsse
potentiam, quæ *actum secun*
non habere *esse potentiæ*. D
quitere, ut *actus secundus* f
valeat illa. Dicimus 3. *pote*
cem & *objectum visibile*. Di
se eandem talem esse, nisi p
dum necessariam. Plura non
& judicio & ingenio pollente
vendere. Qui extra partium
pet, vel ridet potius subtilita
pat. Certè enim & has argutias à
de Formulâ Consensûs Helveticâ
tiam *sufficientem universalem* sta
lisque *Particularista*, qui *gratia*
solis ex absoluto decreto electi
bus de libero arbitrio hominis
non & quo orthodoxo an errone
mento dixi. Quæri videas & qu
tiam *habitualem* & *actualem* requi
infinitos alios egit Card. Gotti
Mira quæstio, cùm gratia *habitu*
quod facimus, suâ naturâ, suâ sp
sit, num ex hoc, quod dicit Chr
les ergò cum Christo *posse omnia*
spondeo, utique omnia illa, qua
tiæ illis donatæ & receptivitate
Scilicet contextus, qui Phil. IV.
ta sint ista, quæ in specie omnia
lim, ex his, quæ diximus, ut su
N. T. de impotentiâ liberi arbitri
câ scriptione in h. l. dedit diffuse
alii. Miror &, tàm minuta ad h
pleret. Vindicias dictorum sacr
Ex vindiciis h. l. quas dedimus,
bet ad thesin, quam sub initium
licuerit, manum abstrahere à

T E

les lettres provinc. 1. 2. & notis ad illas, ubi agitur
& *de la grace suffisante*, ex alterâ Jesuitæ, Daniel de l'
Opp. Theol. T. 2. p. 540. 541. 648. 684. sqq. & I
e mente Concilii Tridentini circa gratiam physicè pr
f. 1. C. 14. f. 33. sqq. verba dabunt. Sed & som
t refutâsse. Ast refutabimus tamen. Dicimus itaque
um secundum, positis ponendis producere haud *vale*
entiæ. Dicimus 2. ad *potentiam proximam* nos non r
ecundus semper sequatur. Sufficit, ut hunc produce
us 3. *potentiam proximam* ad videndum requirere & *l*
sibile. Dicimus 4. si gratia velit esse *sufficiens*, non po
sse, nisi per *efficaciam*, ad producendum *actum secun*
Plura non opus est addere. Miramur saltem, homine
o pollentes ita potuisse ineptire & pro veritatibus bulla
a partium studium est positus, ad ejusmodi gerras stu
s subtilitatis acumen misellum, quod totas sectas occu
s argutias à Pontificiis didicere Reformati, Vide diss. nostra
s Helveticâ p. 13. Miser *Universalista* est, qui ejusmodi gra
ersalem statuit, quæ conversionem operari nescit, forma
qui *gratiam efficacem*, quæ *sola* illam operatur, statui
ereto electis dari. Conferri velim, quæ in dissertationi-
o hominis in spiritualibus, de adjutorio Augustini sine quo
o an erroneo? & de variis gratiæ divisionibus hoc de argu-
ideas & quintò, num ex textu nostro sequatur, præter gra-
alem requiri ad *singulos* bonos actus, de quâ quæstione post
rd. Gotti in Theologiâ scholastico-dogmaticâ T. 3. p. 96.
atia *habitualis* in *continuos* actus, quotiescunque bonum ali-
urâ, suâ sponte, per se influat. Quæri & vel tandem pos-
l dicit Christus: *sine me nihil potestis facere*, sequatur, fide-
posse omnia, quod de se affirmat Paulus Phil. IV. 13. Re-
a illa, quæ lex Christi ab ipsis postulat, pro mensurâ gra-
eptivitate suâ. Ulterius si vadat consequentia, peccat.
Phil. IV. 13. antecedit, ostendit, quænam, qualia & quan-
ecie omnia posse se in Christo dixit Paulus. Jam verò ve-
us, ut suppleas, quæ in h. l. dudùm in vindiciis locorum
eri arbitrii in spiritualibus p. 8. 9. scripsimus, quæ & man-
edit diffusus aliâs Evangelii Johannæi interpres Lampius,
inuta ad h. l. scripsisse in curis Wolfium, ut Polum sup-
rum sacrorum communiter Interpretes non dant, sed *malè!*
dedimus, patuerit & *nervus probationum*, qui intendi de-
initium dissertationis posuimus, inde eruendam. Nunc
trahere à tabula hâc. Scriptionis itaque nostræ hic esto

T E R M I N U S.